



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

XI priores dies complectens

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1863**

De Plurimis Martyribus Romæ Passis Sub Diocletiano Et Maximiano.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72708)

## DE S. THEOPISTO MARTYRE.

II JAN.

*Menæa. II Januar. S. Theopistus lapidatus vitam finivit.*

## DE SANCTIS MARTYRIBUS THEBÆIS

## SEBASTIANO ET ALVERIO.

SUB DIOCLE-  
TIANO.  
II JAN.

**D**e his sanctis Martyribus agit in historia Thebæa Guilielmus Baldesanus c. 33 sub finem; ex quo, et Ecclesie Fossanensis in Pedemontana Liguria ditone monumentis, hæc scribit Philippus Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiae ad 2 Januarii:

SS. Alverius et  
Sebastianus  
ubi passi.

2 Alverius et Sebastianus milites Thebæi, cum ex finibus Sedunorum, Maximiani Imperatoris persecutionem et crudelitatem in eos qui Christianam religionem colebant, fugientes, in Taurinorum fines circa ea loca, ubi Fossanum civitas nunc est, se recep-

sent; ab Imperatoris satellitibus deprehensi, martyrio affecti sunt: quorum corpora in ecclesia Campestri, olim parochiali, apud Fossanum cum diu latuissent, annosalutis mccccxxvii, iv non. Januarii in arcis lapideis, cum inscriptione, quæ eos ex Thebæa legione fuisse, et sub memorato Imperatore passos esse, ostendit, vocum caelestium indicio reperta, et in basilicam dictæ civitatis majorem translata, non mediocrem habent venerationem. Eorum meminit idem Ferrarius in generali catalogo Sanctorum.

Eorum in-  
venta corpora  
1427, 2 Ja-  
nuar.

II JAN.

## DE S. THEODOTE

## MATRE SS. COSMÆ ET DAMIANI.

**M**enæa: Eodem die S. Theodote mater Sanctorum medicorum gratis curantium, *Cosmæ scilicet et Da-*

*miani, in pace vitam finivit. De ea agitur in Actis filiorum xxvii Septemb. et in Menæis i Novembr.*

## DE PLURIMIS MARTYRIBUS

## ROMÆ PASSIS SUB DIOCLETIANO ET MAXIMIANO.

AN. CHR. CCCII.  
ET CCCIII.  
II JAN.Diocletiani  
contra Chris-  
tianos edi-  
ctum.

**A**nno decimonono imperii Diocletiani (*inquit Eusebius lib. 8, cap. 3.*) mense Dystro, qui a Romanis Martius nominatur, cum salutaris Passionis Dominicæ festum jam pro foribus esset; omnibus in locis per Imperatoris litteras palam indictum fuit, ut deturbarentur ecclesie, soloque æquarentur: scripturæ Christianorum absumerentur igni: qui honorem fuissent adepti, de gradu turpiter deponerentur: privati, si modo in professione perstarent, libertatepenitus privarentur. Ac primum quidem Edictum contra eos tale fuit. Non longo post tempore, aliis litteris exeuntibus, mandatum est, ut omnes Ecclesiarum Præsides ubique gentium conicerentur in vincula; deinde omnibus machinis adhibitis, idolis victimas immolare cogerentur. *Hæc Eusebius.*

Sacri codices  
conquiruntur  
eremandi.

2 Ejusmodi igitur, *inquit Baronius ad ann. 302, n. 22* de libris comburendis promulgato Imperatoris Edicto, in omni provincia Præsides, et in singulis civitatibus, oppidis, atque vicis Officia invigilabant, ut a Christianis codices traderentur; ad hocque iidem urgebantur, additisque tormentis crudeliter cogebantur. Qui ergo atrocitate poenarum perterriti, quos apud se haberent codices traderent, Traditores vocabantur. Horum ingens numerus fuit; sed prope infi-

Traditores  
qui.

nitus illorum, quorum constantia nulla est concussa formidine, qui ne codices sacros traderent, lubentissimo animo mortem oppetiverunt. Horum omnium coronas, quod impossibile visum sit singulorum memoriam prosequi, una die, nempe II Januarii, Romana Ecclesia celebrat hoc præconio: Romæ commemoratio plurimorum Sanctorum Martyrum, qui spreto Diocletiani Imperatoris edicto, quo tradi sacri codices jubebantur, potius corpora carnificibus, quam sancta dare canibus maluissent.

3 Hos ex veteribus monumentis in Martyrologii tabulis restituit Baronius, qui sæpius in suis Annalibus eorum meminit, præsertim anno Christi 302 et 303. Diocletiani 19 et 20 ibidemque uti et in Notis ad Martyrolog. ex Augustino, refert habitum eo tempore Cirtense in Numidia Concilium, in causa eorum, qui sacros codices tradidissent.

4 Ibidem ex variis legibus docet Baronius, multo ante ab Ulpiano et Paulo fuisse responsum ut libri magicæ artis, id est, Christianorum comburentur. Nec mirum, cum Arnobio teste ipsius Ciceronis libros de Natura Deorum et de Divinatione, quibus gentilitia superstitione videbatur posse convelli, quidam abolendos censuerint.

Multi marty-  
rio affecti,  
quia libros sa-  
cros notabant  
trudere.  
Coluntur  
2 Januar.Concilium  
Cirtense.  
LibriChristia-  
norum jussi  
comburi.